

polypus.

Ozena

Staphyloma

paracilis

Batrachos
vol Ranula

fieri solet, prohibet, quia interiora nasi obstruit. Ibidem quoque alius tumor oritur, cui polypus nomen est. Hic autem non mollis est ac laxus, sicut sarcôma, sed durus & circumscriptus, qui que pro lunæ incrementis & decrementis augeri atque imminui fertur. Mutatur autem hic tumor in ozenam, si exulceretur, è qua teter odor naribus spirat. Præterea in gargareo, hoc est vuula tumor fit, cui nomen columella est, ceu vuulæ relaxatio. Dicitur autem columella, quòd lōgitudine & figura exiguam referat columnam. Quòd si vuulæ summum ceu caput rotundum & crassius appareat, quàm eius radix, affectus staphylôma, hoc est vuua dicitur. Ac vterque gargarei tumor è continuo defluxu pituitæ oritur. Item, glandibus, quæ ad linguæ radicem pertinent, inflammationes sæpe eueniunt, quæ Græcis autiades & Latinis tonsillæ dicuntur. Huiusmodi autem glandes ex diuturnis defluxionibus à lue venerea concitatis indurescunt ac tumescunt, quæ si quando exulcerentur, continuam afferunt excreationem. Ob eandem luem tumores alij, circa dentium radices oriuntur, qui semper recrudescere solent, nisi candente ferro eruantur. Verùm alias ob causas in gingivis flatuosum tuberculum innascitur, quod Græcis paracilis nominatur. Sub lingua quoque inflammatio emergit, quæ Græcè Batrachos.

chos.